



CAPVT I.

De modo argumentandi in genere in SS. Theologiâ.



LOGICA theologica explicat modum rectè argumentandi in sacrâ theologiâ.

Modus ille consideratur in genere, & in specie.

In genere modus argumentandi est duplex. Aut enim suscipimus aliquid probandum in SS. theologiâ: aut occupamur in refutatione falsorum dogmatum.

Modus probandi continetur unicâ hâc regulâ: Loci communes theologici, & illorum tituli, sunt totidem loca inventionis, ex quibus peti possunt argumenta non solum probantia, sed etiam declarantia & amplificantia. Illustremus singula. Et primò quidem argumentari possumus à naturâ Dei, à gloriâ Dei: illustratione, ab omnipotentiâ Dei, à perfectione SS. literarum, à providentiâ Dei, à custodiâ sanctorum angelorum, à nostri electione, vocatione,